AB
621

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-208527-p0001-3

X
2. A. 6. 906.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-208527-p0002-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-208527-p0003-4

D. l. 54.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-208527-p0004-0

6 R

PROBI ET GALLIAE AC POLONIÆ AMANTIS VIRI,

AD GALLOS ET SARMATAS ORATIO.

Acceſſit inſigne & peruetus vaticinium de liliorum & aquilæ ſeptemtrionalis coniunctione.

Pſal. 62. Rex vero lætabitur in Deo: laudabuntur omnes qui iurant in eo: quia obſtructum eſt os loquentium iniqua.

BASILEÆ.

1575.

De gemino HENRICI III.
Regis Chriſtianiſsi-
mi inſigni.

Prima maritali iunxit ſua Iuno volucri
Lilia, mox illis ſe Iouis addit auis.
Parcite diuinum temerare & frangere florem:
Illa miniſtratrix fulminis ales adeſt.

PROBI, ET GALLIÆ AC POLONIÆ AMANTIS VIRI,

AD GALLOS ET SARMATAS ORATIO.

SI quod vnquam fuit tempus, fortissimi Galli & Sarmatæ, quo ego & pietati erga vos meæ, & rebus perneccssariis vestris satisfacere debui: nunc illud profectò est, cùm Rex vester communis Henricus Francus Valesius, primùm ex Andium Duce Rex Sarmatiæ creatus, mox & Galliæ Rex hæreditate factus, ita subitò è Sarmatia in Galliam excessit. Quare cùm vestrûm alteri nimis animum despondisse, alteri non mediocriter sustulisse videamini: putaui me hoc debere & gloriæ Dei, nc, cùm is princeps diuino munere ac prouidentia vobis

contigit, si quid ea ex re vobis periculi aliqua imprudentia vestra acciderit Deo imputetis : putaui & nationibus deberi vestris, quibus sum deditissimus : putaui conscientiæ & virtuti meæ ; vt vobis animi mei sententiam aperirẽ. Verebar enim, ne si è diuersitate consiliorum, in contraria studia incumbatis, regna hæc quibus continemini, in his acerbitatibus, quibus abundant, grauioribus adhuc malis inuoluatis: è quibus aut nunquam aut serò & maximo negocio vestro, vos extricare poteritis. Non quod consiliis meis, qui vtrique & prudentia & iudicio polletis, opus habeatis, sed quia tam impotens amor in Rempub. & vos meus est, volui etiam mihi aliquid sumere, vt illi qui malè valentibus, etiam ignari artis medicæ, quæ possunt solatia adferunt : & sæpè euenit vt maximi morbi, & nullis pharmacis curabiles, oluiculis curentur. Quod vt ne ingratum vobis sit, sed vt æquo animo ea auscultare velitis, magnopere peto. Hoc enim vobis vtrisque demonstrabo, Regem hunc non exitio sed saluti & gloriæ vestræ, à Deo datum esse : ac ideò his gradibus duci, vt & ille clarissimus esset, & vos ex eo maiora

ornamenta & vtilitates percipere tis; cùm iam his regnis imperet, quæ ita inter se coniuncta, mutuò maxima emolumenta capere possunt. Sed has res tantas, cùm plerique non ita consideratis, in duos maximos errores vtrique impegistis: Galli quidem, quòd hunc principem, in maxima gloria, in summis opibus, & in omnibus vitæ cum voluptate degendæ commoditatibus, in proxima spe successionis Regni Galliæ, ad Sarmatiam inconsideratè animum adiecisse existimatis: hoc est, regnum adeò remotum, tantopere onerosum, & ex quo nihil commodi, sed laborum & solicitudinis plurimum ad eum redundet. Inde fit, vt qui illius è Gallia in Poloniæ regnum abitionis autores fuerunt, iis grauiter succenseatis; quod eorum causa Franciæ salutem lubrico loco fuisse positam arbitremini. Sarmatæ verò, quòd vobiscum malè actum esse existimatis, quòd Regem eum elegeritis, qui Regnũ summo studio prius expetitum, & incredibili vestra beneuolentia eiusque maxima gloria, ad se delatum, breui spreuerit, ac illud tãti apud se non esse, vel hoc suo discessu ostenderit, imò in pericula coniecerit. Vnde nunc

omnes accusatis, qui eius principis laudes vobis primi aperuerunt, & ignaram, vt aitis, multitudinem in sua suffragia pellexerunt. Quos duos maximos non totius vtriusque nationis errores, (non desunt enim vtrimque quirem non affectu sed ratione vti est considerant) sed plurimorum vtriusque gentis refutare, atque animos in contrarium nitentes ad saluberrima consilia, reuocare, in animum induxi.

Ac primùm quidem vobiscum, ô Galli, agam: Ad quorum sermones refutandos, vel constantia Regis ipsius mihi sufficere posset: qui non tantùm apud Sarmatas, verum etiam externos Principes ac populos, & regni illius amplitudinem & nobilitatem, & hominum bonitatem ac fidem prędicauit, & curæ sibi fore, ne illud derelinquat, sed retineat, ac de illo benemereatur, declarauit. Sed ne me ita debilem esse existimetis, vt me necessario testimonio & autoritate principis fulcire velim: non implorabo eius testimonium, non allegabo constantiam. Sed quæram à vobis, vnde hoc intellexistis, ei regnum illud non ita charum esse, vt Sarmatæ cupiunt, & vt etiam fortasse merentur? An is vobis dixit? Dixisse

Dixisse eum dicere nõ potestis. Nam aliud ex eo audiunt ij, quibus cum de Republica agere consueuit. Nihil autem repugnans eum cõsuesse dicere constat apud omnes, neque solum amicos, sed etiam hostes. Ex vobis igitur habetis. Quod si certum est, aut hoc certò scitis: aut opinamini. Scire non potestis. vnde enim sciretis, si is, vnde hoc vos exhaurire oportebat, in animo id suo habuit nunquam. Opinamini igitur. sed cùm opiniones opinionibus refutẽtur, vt venti ventis, & nebulæ nubibus, non est necesse vllis argumentis. Aut aliqui rem eam finxerunt, & fictam vobis communicarunt. Figmenta, vt sunt per se inhonesta, & plærúmque præsertim in rebus magnis periculosa, ita tempore ipso refutantur, & tanquam nix radiis solis, ita veritate deliquescunt. Itáq; neque cum figmentis confligam. Sed tamen vnum telum ad huc expediam. Si certum est, Regnum hoc Regi minus charum esse. Si antequam illud haberet, quare ambiuit? Si dum illud ingressus esset, quare non cõtempsit, sed summa alacritate diadema postulauit? Si posteáquam ex eo profectus est! quare nihil cutæ, nihil laboris omittit: vt illud retineat?

Quid appeteret, non ignorauit; quod ſperauit inuenit: quod aſſequutus eſt non deſerit. Tribus tẽporibus, id eſt, omnibus rebus euinco, huic principi regnũ Sarmatiæ chariſſimũ eſſe, neque ei dolere, ſedeo magnopere lætari, quòd eius regni Rex effectus ſit: in cuius adeptione maxima gloria circumfluxit: non ea ſolùm de cauſa, quod de eo cum maximis principibus certarit: ſed etiam quod ipſum eo conatu dignum fuerit. Nam ſi eos ſpectetis, qui ambiuerunt, de iis nihil paruum cogitare poteſtis. Quid enim iis maius orbis habet? Quibus ſi tanti erat Sarmatia, vt in conſpectu orbis terrarum, de ea certando, exiſtimationis ſuæ periculum facere non dubitarint: quid eſt, quod vobis non ſatisfaciat? Magni principes res magnas appetunt. An & illi Sarmatiæ ſtatum ignorabant? vt vos ignoraſſe dicitis, & ignorare vos adhuc certum eſt? aut igitur perinde imprudentes fuerunt, quòd rem ſibi prius ignotam, & quàm reipſa eſt opinione maiorem appetiuerint: aut in Sarmatia adipiſcenda, maximam gloriam (quæ dos eſt principũ) collocabant. Potentia autem cùm ſit mater gloriæ: Quî Sarmatia minùs potens ſit, cuius

cuius fines à Carparto monte vsque ad ma re Goticum, & à mari Balthico vsque ad pontum Euxinum porrigantur? quæ tot millia nobilium in aciem producat, quot nullum aliud regnum, nullus princeps? cuius eæ vires sunt, vt etiamsi tot acerrimis populis vndique circum fusa sit, cum quibus nũquam aut rarò extra bellum est: tamen suos fines vndiquaque longè & latè extenderit, nõ compresserit? At vrbes sunt ligneæ, & paucę mænibus & muris firmatę. An nescitis esse leones intra ligneos crates? in petra erinaceos? Scythas sine domibus, quis vnquam domuit? quis suæ potestati subiecit? Sarmatas, nec antiqui illi domitores orbis lacessendos sibi esse putauerunt. Ergo ne antehac Sarmatæ potentes & terribiles, cum adhuc illis res angusta domi esset, & vna prouincia continerẽtur: ac mucro gladij in manu fines regni essent: nunc impotentiores erunt, cùm Poloniis duabus, ampla Lituania, Masouia bellicosa, Russia fertilis, Prussia diues, Podolia opima, Volinia ferox, Kiouia ferax, Liuonia portuosa accessit? Quorum vos in Sarmatia hæc omnia complectente nihil vidistis: nisi autem trium dierum sęculo omnia per

videre potuistis. Sed audio quid dicatis: néque enim fingere quicquam volo. Aurum non habet Polonia, vino caret, frigida & horrida est, nullas delicias præbet? Aurum quidem domi nõ effodit, vt & Gallia, neque fodinas præter plumbum, argẽtum, salem, lasurum, & ferri ac sulphuris mineras habet. Sed si fertile solum, si frumenti maximam vbertatem, si lina, canabes, ceram, sebum, resinam, cinerem, picem, trabes, ligna, pelles, si boues, equos, armenta, maxima copia, non solùm ipsa habeat, sed etiam cæteris nationibus ad se terra marique commeantibus suppeditet ac sufficiat? quomodo aurum non habeat, si aurum habentibus imperat? quî vino careat? splendida non sit? atque vtinam minus sit, quàm est, & minor sit in apparatu equorum, pilentorum, rhedarum, vestium, ciborum, potus, aromatum, seruorum, luxus & superfluitas, non inopem sed opulentissimam esse Sarmatiam constaret. At Rex fortasse, in abundantia omnium & rerum, & hominũ, vnicus est indigens? An ea non habet, quæ priores Reges habuerunt? At sunt dilapidata. At sunt etiam leges, quæ ea reuocãt:

Quòd

Quòd si non tanti sunt prouentus, quanti alibi, cogitare debetis in tanta vbertate & vilitate omnium non opus esse vt tantos habeat, quãtos alibi. omnia enim ferè domi nascuntur, quibus non tantum vita sed etiam Maiestas indiget, præter serica & illecebras: quibus facilius humana vita caret, quam his præsidiis, sine quibus consistere nequit. Et si prudentes, non eos diuites, qui multa possideant, sed qui miminis indigeant esse censent: Sarmatia, quod alienis non valde indigeat, neque ægrè carere possit, quàm sit opulẽta vel hoc ostendit. Sufficiunt itaque illi suæ opes: sufficerunt prioribus regibus, Boleslais, Audaci, Criuousto, Loctico, Casimiris, Sigismundis, & multis ante eos: qui non tantùm suis opibus domi natis bella gesserunt, & suam hanc Spartam conseruârunt & ornârunt: sed etiam plurimis extra Sarmatiam præsidio fuerunt? Vnde tot sumptus & domi & foris? vnde tantæ stipatorum & aulicorum cateruæ, tanta equorum stabula, si nullæ essent Sarmatiæ opes? At si nunc exacto hoc interregno, & rege constituto, non omnia suo in flore vidistis, quomodo tam subitò omnia ad hos numeros reuocari

potuerunt, poſt vacationem Regiæ ſedis integro biennio, præſertim in eo regno, in eo populo, qui ſe liberum eſſe agnoſcit, & non niſi iudicio, legum & comitiorum decretis aſtringitur? Itáque ſi ad comitia ventum fuiſſet: Omnes capitanei, Quæſtores, redemptores vectigalium, montium magiſtri, publicani, ac quorumuis prouentuum regiorum adminiſtratores conferendam de more pecuniam, decreto comitiorum vocati veniſſent. Quod ſi factum fuiſſet, iam vos neque de hac regni tenuitate, neque de regio ſtatu ita queri oportuiſſet? Conſeruauit ſenatus regi regnum, conſeruauit & omnia quæ ſunt in regno. Maior erat in interregno ſalutis omnium cura, quæ ſtatim periclitari poterat, quàm prouentuum, qui perire non poterant, & quorum in ſeruando ab omni parte regno plurimum abſceſſit. Quod cùm integrum & non lacerum inuenit Rex, non magnopere iactura biennalium prouentuum afficitur, qui in rebus ſuis eius cauſa, magnam iacturam nihili fecit. Sed quàm ineptè regem defendatis, (at quæ eius defenſio, qui ipſe defendi nolit?) quòd illi regno tenuitatem, quod onus & difficultatem obiicia-

tis:

tis: iam videte: Gloriam enim eius non mediocriter obscuratis. Nam si tenue regnum est, aliud quàm opes in eo quæsiuit? Si onerosum, in subterfugiẽdo eò inertiæ suspitio, in appetendo fortitudinis & magni animi argumentum patet? Si difficile? minor esset eius gloria eo deterreri, quod Sarmatici Reges,& prudenter rexerunt,& strenuè gesserunt, & hucusque incolume conseruarunt. Quòd si is, ad beatissimum & opulentissimum regnũ aspirasset: quod summis voluptatibus affluueret, nullos hostes haberet, & ita ab omni parte beatum esset, vt ipsum à seipso quodammodo sine vlla Regis cura & cogitatione regeretur: quid ex eo gloriæ, quid laudis habuisset? quid tam vulgare,tam minus admiratione dignum,quàm ocij, quàm voluptatum appetentem esse? Fugiunt hæc magni animi, & excelsa pectora: sequuntur inertes, & humo defixi homunciones. Itaq; si non vidit tantas opes quantas fortasse alibi:vidit profectò esse pulchrum, eius populi regna torẽ esse, quem tot hostiles exercitus circumhabitent, qui non tantùm Sarmatiæ, sed etiam toti Europæ inhiant: ei populo imperare, qui in campis,frigore, niuibus,

sæpè ac penè assiduè, non de sua tantùm causa, sed etiam totius propè orbis Christiani, cum crudelissima barbarie armis decernat. Qui liber sit, liberè & non seruiliter viuat: sola honestate vinciatur, verbi spõsionem instar vinculi durissimi habeat, solius amore virtutis omnia agat, quæ cæteri multi pœnis & metu adacti. Si non vidit tantas delicias, at principe digniores delicias esse duxit, magis armis, quàm ludis, hinnitu equorum quàm mollissimis cantibus, & cursu confligẽtium copiarum, quàm ludicris saltationibus delectari. Si hoc inquam quęsiuit, hoc expetiit, hoc desiderauit, vti nihil aliud cum Polonorum Rex esse voluit: quis hoc non laudet? quis eum è vulgo huius sæculi principum non segreget? non eum magnis illis heroibus & orbis domitoribus exæquet? non eius indolem ac virtutes, nunc raras, omni posteritati commendet? Et hoc quidem vos si in eo reprehenditis, si eum imprudenter cura Sarmatici regni implicatum esse dicitis, rem omnium præstantissimam, nempe, veram gloriam illi inuidetis. Et estis similes illis parentibus, qui cùm suis liberis omnia fœlicia optent: vt omni molestia vacẽt, ociosos

ocioſos eſſe volunt. ſed ea re ita illis officiunt, vt deinceps omnem eorum vitam, omnibus moleſtiis & difficultatibus exponant. An in labore & actionibus virtutum, non omnis beatæ vitæ ratio collocanda eſt? An hoc laudes clariſſimi eius principis, non magis illuſtrat? quòd in laboris & curarum campum ſe eduxerit: quòd non minùs ille tale regnum, in quo virtutes ſuæ eluceſcere poſſent, expetiit, quàm Sarmatia talem Regem? qui in ea antiquam bellicæ virtutis laudẽ excitaret: & mores ocio & inertia fluxos, ad veterem diſciplinam reuocaret? Quæres vtráque ſanè, maxima prouidentia diuina, & fortunæ, ſi fortuna eſt, fauore incredibili inſtructa eſſe & comparata planiſſimè videtur. Nam & Henricus dotibus & virtutibus ſuis accommodum regnum Sarmatiam; & Sarmatia Henricum ſibi aptiſſimũ, & maximè idoneum Regem inuenit. IAM ſi hæc maximo diuino conſilio facta coniunctio, vobis ingrata eſt: ſi eam reprehenditis: an non regij nominis clariſsimo ſplendori denſam nebulam offunditis? An enim eius nomen, etſi ſatis antea clarum, tamen ea electione Sarmatica, non magis percre-

buit? nónne omnium ore ferri cepit? non eius virtutes, quasi perruptis domesticæ laudis aggeribus, tanquam deriuatione gratissimi alicuius fontis, in totum orbem dimanârunt? An cùm ob egregias animi & corporis dotes, & bellicas virtutes, quouis regno dignus haberetur, non prima Sarmatia in eius complexus irruit? non prima ei sceptrum & diadema detulit? An is errauit, cùm Regnum tam amplum, & tam viris quam equis potens, ita rerum bello gestarum laudibus percelebre desiderauit: cùm nominis sui fama Riphæos montes attigit, & vtrumque solis cardinem implеuit? cùm à nullis molestiis abhorrere, nullos labores defugere, qui essent cùm laude & dignitate coniuncti, voluit? cùm se clarissimo magnorum regum sanguine ortũ esse declarauit? cùm hoc petiit: quod si viuo patre suo Henrico illo secundo, magno & strenuo principe, quẽ Galliæ mors immatura inuidit, petiisset: hoc pculdubio à gestiente & præ gaudio lachrymante patre audiuisset: quod quondam Alexander Macedo à patre Philippo: Quære alia regna fili, non te tua Macedonia, tua hæc Gallia capit? Num hoc ei inuidetis, quod

prius

prius quam regnaret, digniſſimus regno declararus eſt? An nihil debebitis Sarmatiæ, quòd Gallum principem multis aliis præpoſuerit? quem à vobis euocatum, ad remotiſſimum regnum venientem, Germania omnis venerata ſit? quòd eum Italia & tot clariſſimi populi cognouerint, & maxima laude veſtra; humeris ſuis penè vobis attulerint? quòd ipſa inquam Sarmatia quem Ducem acceperat, duorum potentiſſimorũ regnorum Regem vobis reddiderit? quòd ipſe tot prouincias perluſtrarit? quòd tot amicos ſibi & vobis, quot homines obuios habuit, comparauerit? quòd nomen veſtrum cladibus veſtris, ac ea dolenda calamitate domeſtica, non mediocriter inquinatum, à probris vindicârit: ac omnibus palàm fecerit, vobis ne in extrema quidem ſorte veſtra, virtutes ac principes laudatiſſimos deeſſe? quod amici veſtri mirantur, id vos contemnetis? quod timent hoſtes, id negligetis? quod vobis felix & fauſtum, ac in omnem æternitatem memorandum accidit, id vos moleſtè feretis? Prudenter itaque Rex veſter fecit, quòd regnum illud expetiuit, & fæliciſſimus putandus, quòd illud aſſecutus eſt.

Quam eius prudentiam fuſpicere, magnanimitatem mirari, fælicitatem amare: Sarmatiam verò tanquàm honoris veſtri renouatricem ac vindicem diligere, & magnifacere meritò debetis. E qua ſi eum periculum veſtrum, ſi grauis fortuna Galliæ, & nihil aliud ad vos euocauit: quomodo & Regem non plurimum amare, & de Poloniæ ſtatu ſoliciti non eſſe, ac ne quid eam ob rem detrimenti capiat, curare debeatis? IAM verò ad vos & Sarmatæ venio. Sed quibus verbis vobiſcum agam? quomodo vos compellem? vnde petam argumẽta cauſæ neceſſaria? Ego verò cùm veſtrum dolorem hac abitione Regis excitatum conſidero: condolendum perturbationi veſtræ: cùm veſtras querelas de eius diſceſſu ita audio, vt eum à vobis vnquam electum eſſe vos pœniteat: atque ideò in eius laudum præcones tanquam fatales reipubl. ciues, omnia ferè tela vndique coniiciantur: ſuccurrendum imbecillitati iudicij veſtri, ac vobis hanc nebulam ex animis dimouendam eſſe putaui. Etenim ſi ita de hoc diſceſſu Regio queri mini, vt & electioni eius ſuccenſeatis: duas res, omniũ præclariſſimas cõſequutos

eſſe

esse vos, non solùm iniquo sed etiam ingrato animo fertis: Salutẽ nimirum ipsam, & libertatem. Quæ quidem vtraque, tanto maiore beneficio diuino vobis constitit, quanto maius erat periculum, ne vel salutem tuendo de libertate, vel libertatem de salute periclitaremini. Quid? non meministis, in quantis reipublicæ difficultatibus, omni ex parte, hoc interregnum vos occupauerit? in quanta rerum omnium trepidatione, & incertitudine, vos distinuerit? Quid vobis tum salutem peperit de qua à multis desperatum erat? concordia. Quid concordiam? periculorũ externorum propinquitas & gloria, quam ex studiis præclarissimorum regni competitorum animis præcipiebatis? Itaque eius concordiæ præclaris fundamentis iactis, & mutuis offensionibus patriæ condonatis, inter spem candidatorum ac illis cohærentium, & salutem vobis comparastis: & libertatem eligendi conseruastis: & principem eum, quẽ maximè ei vtrique tuendæ idoneum esse iudicastis, Regem vobis delegistis. atque eo pacto, Rempublicam vestram, ad suum portum, in quo placidè conquiesceret, fœliciter adduxistis; ac vobis vestróque no-

mini ſummam gloriam conciliaſtis: ac in veſtræ prudentiæ admirationem, omnes orbis terrarum populos cõuertiſtis. In quo actu maximo & clariſſimo, hæc duo præcipuè ſpectauiſtis: qualem Regem eligeretis, & quomodo eligeretis. Ac modum vos optimum inueniſtis: Regem optatiſſimum elegiſtis. Quomodo? non enim pauci, ſed omnes: non armis, ſed rationibus: non potentia aliquorum, ſed omnium ſpontaneo & beneuolo aſſenſu: non coactis aut extortis ſuffragiis, ſed ſeruata cuique ſua libertate eum elegiſtis. Qui etiamſi non omni ex parte perfectiſſimus quali opus haberetis, fuiſſet: tamẽ vel ea re diuinus apud vos habendus eſſet, quia tam ſalutaris, vt ſine vllo ſanguine ac tumultu vobis obtigerit. Quòd ſi autem & talem elegiſtis, qualem optare magis quàm ſperare poteratis, quid eſt, quòd vobis mutuò indigne mini? Cuius electio luculentius gloriam veſtram illuſtrare, & quod domi veluti compreſſum manibus tot ſæculis tenebatis, nimirum, libertatis veſtræ prærogatiuam, id omnibus populis & nationibus amicis & hoſtibus clarius demonſtrare potuit, quàm cùm eum eligeretis, quem vix à vobis eligi poſ-

ſe om-

ſe omnes ſperabant. elegiſtis remotum: at pericula erant proxima: elegiſtis ignotum, at vos veram virtutem non oculis metiendam eſſe putauiſtis: elegiſtis peregrinum: elegiſtis talem, à quo magis tarda, quàm ab aliis præſidia. Quid ita verò? nempe ſic vos gloriam veſtram, ſic libertatem veſtrã charã habuiſtis, vt remotum vicinis, ignotum notis, peregrinum veſtris præpoſueritis: & tam alienis præſidiis vos non indigere, quàm vim hoſtilem non extimeſcere oſtenderitis. Et conſilium verò Dei, in his quale fuerit, attendite. Rege vobis opus erat, qui veſtræ libertatis non oppreſſor ſed conſeruator & auctor eſſet. at quis eam minùs opprimere poteſt, magis tueri & augere debet eo, qui ita remotus eſt, vt ſe vobis imperare poſſe, nonniſi volentibus vobis videat? Rege opus erat, qui veſtram laudem, otio ſepultam, rebus gerendis & armis excitaret: quis eo ad eam rem aptior, quàm qui in caſtris educatus, inter arma verſatus, ac totum adoleſcentiæ ſuæ florem in bello, contriuerit? Rege opus erat, qui ad regnandum apud vos, non animum cupiditate accenſum, ſed ſtudio veræ gloriæ ardentem adferret. Quid is verò aliud

ad vos attulit? quid aliud ſpectauit, quàm gloriam, cùm Sarmaticas oras Gallicis præ poſuit? cùm nihil non veſtra cauſa reliquit? Rege opus erat, qui non ſua apud vos, ſed veſtra apud ſe quæreret: & non tam ſua quàm veſtra cauſa apud vos regnare vellet. quis eo vtilior, qui non veſtra rapere, ſed ſua vobiſcum communicare decreuit? Rege tali, qui omnia pericula contemneret, dum ſua regna tueretur. Rege tali, qui non mortem, ſed ignominiam ſolam metueret. Rege tali, qui ſapiens, qui iuſtus, qui clemens eſſet: qui religione nihil ſanctius, pietate nihil charius, virtute nihil amabilius haberet. Qui non armorum præſidiis, ſed beneuolentia ſubditorum cingi & muniri didiciſſet. Quæ quidem omnia, ſi vobis cum eo contigerunt, ſi ſalui eſtis, ſi libertatem ſartam & tectam retinetis, ſi in eo eligendo, in eo vocando, adducendo, excipiendo, ſumma gloria cumulati eſtis, ac vos multis gentibus fæliciores eſſe declaraſtis: quid cauſæ eſt, cur de eo electo conqueramini? cur eius electionem prius diuinam, nunc funeſtam vobis & Reipublicæ veſtræ arbitremini? cur eum antehac à vobis omnibus electũ eſſe dicebatis, nunc

à quibuſdam? cur cùm voſipſi eum videretis, ac in eius oculis & vultu, veluti in ſpeculo clariſſimo, omnes virtutes ac probitatem notaretis, diuinitùs vobis eſſe oblatum & datum affirmauiſtis: nunc vobis ab aliis impoſitum eſſe confirmatis? ineptum eſt omninò ac puerile, ſi quid ex animi ſententia ſucceſſerit, eius laudem ſibi ducere propriam: ſi quid malè ceciderit, eius rei culpã in alios transferre. Sed quid etiã hîc malè cecidit? Quod enim in regno Galliæ fratri mortuo ſucceſſit, num hoc humanis conſiliis imputatis? num quid technarum hîc eſt? quid in eo culpæ, ſi eum & Deus & ſors, etiam & tabulis publicis ante declarata, patrij regni regem eſſe voluit? Sed iam dicetis, vt opinor: non tam id vos queri, quod is rex à vobis ſit electus, ſed quòd à vobis difficili & alieno reipublicæ tempore diſceſſerit, vobis in incerto relictis, in tanta animorum inter vos offenſione, inter tot hoſtes, tot pericula: nullis cum extraneis fœderibus vel conſtitutis vel renouatis. Vnde in republ. incredibiles tempeſtates exoriri, eámque vt nauem è tranquillo portu abreptam, turbulentis & ſeditionum, & armorum externorum fluctibus

obruere poterunt. Ad quam ego querimoniam vestram facilè respondebo, & hoc vobis ostendam: cum hoc tempore à vobis nulla nec vestra nec sua indignitate, & nullo vestro incommodo discessisse: cùm non discedere sine summa ignominia & iactura sua & vestra non potuisset. Quæro enim à vobis ô nobilissimi Sarmatæ, num iam Regni Galliæ fortuna communis vobis non est? num fratres, amici & confœderati non estis? rege iam vno ac eodem, magis quàm cùm duorum fratrum subditi essetis? At iam vestram quietem & fælicitatem considerate, quòd vos domi auream pacem habetis: foris nemo vos lacessit: aut si quis est qui hoc audeat, nemo impune lacessit. Regni verò Galliæ quę fortuna est? Quintumdecimum iam annum ciuili incendio ardet, & ita æstuat flammis furentibus, vt nisi rex ad eam eo silentio accurrisset, aut saltem à vobis excurrisset, iam vltimum dicere; ac funesto gemitu Maronianum illud lamentari potuisset: Fuimus Troës, fuit Ilium: fuimus Galli, fuit Francia. Si enim quid Gallia in flore suo fuerit cognitum habetis, si opes illius, si maiestatem, si humanitatem, si cultum, si elegantiam

tiam vnquam vidistis: aut si è monumentis veterum, quid Gallia à duobus millibus annorum fuerit, didicistis: & si nunc qui status illius sit, quæ sors, quæ ruinæ, quæ vastitas paucorum annorũ furoribus comparata, videtis: & in media Gallia Galliam ipsam requiritis: fieri nequaquam potest, quin vehementer commoueamini: ac ipsam præsenti calamitate subleuatam esse velitis. O Francia flos Europæ nobilis, ingeniorum mater, schola bonarum artium, alumna humanitatis; vbi nunc est tua gloria? Tua antehac arma barbaris & crudelibus nationibus terrori fuerunt: tum illis frena imponebas: tu è tyrannide Christiani nominis hostiũ regna & prouincias amplissimas recuperaueras. Tu nulli decesse occasioni, vt omnibus adesses, vnquàm volebas. Quæ regio in terris tuorum non plena laborum? non plena meritorum? vbi nunc est salus tua? Quis nunc tua fata sine lachrymis intueri, quæ nemo sine lachrymis audire potest? Etsi enim omnis belli ratio miseranda est; tamen multo miserabilior est, quæ domi ac inter suos est: cùm non tantùm vitæ & fortunarum, sed etiam iuris, legum, sanctimoniæ & humanitatis

omnis certitudo debilitatur: ac fundamenta societatis humanæ conuelluntur: quibus conuulsis & euersis, quid salui in republica esse poterit? quid, cur viuere non pigeat ac tædeat? Hæc omnia in Gallia propè iam spectanda fuerant, præsertim absente eo, qui regni hæres, & iure & beneuolentia fratris tanquàm non nescij mortis proximæ, erat designatus. Quibus extremis malis, cùm Princeps vester sola celeritate subuenire se posse intelligeret, maluit vos ad tempus relinquere, quàm intempestiua deliberatione, patrium regnũ, in vnica sua spe requiescẽs amittere. Quod nisi fecisset, non solùm de regno suo amplissimo periclitari, sed etiam multis Christianis regnis: quæ de fortuna regni Galliæ pendent, plurimum detrimenti inferre potuisset. Poterat autem & apud vos sempiternam inertis principis notam obtinere, si regnum orbis Christiani summũ, sibi proprium, hereditarium, patrium, auitum, tam fœdè amisisset: & periculum vobis esse poterat in eius esse potestate, qui sua propria sibi conseruare & tueri nesciuisset. Quod cùm ille fecit, cùm à vobis recessit, cùm tot prouincias securus transiit, cùm tam matu

rè &

tè & opportunè peruenit, vt manum salutarem labenti suo regno subiecerit, non merito de se dicet, veni, vidi, vici? à quibus aberam, eos seruaui: quos reliqui, non dereliqui? Quòd si hoc nullo vestro incommodo, aut saltem breui admodum & non periculoso fecit: quis hoc eius factum meritò reprehendet? quis tam impatiens, vt eius absentiam exitialem Reipublicæ vestræ dicere iure possit? Quod autem duo hæc mala Rerumpub. discordiam domesticam & pericula externa attinet: etsi ea in tam fælici & beata Republica vestra, non ita vobis grauia, non ita infesta fuerunt; vt virtute vestra non semper ea compresseritis: num tamen iis & ille nunc non occurrit? an vos sine lege & ordine reliquit? & vos, vt impatientius quidam perhibetis, prędę hostium obiecit? Nequaquam. Cùm enim à vobis recederet, an non illustria documenta præclaræ erga vos voluntatis suæ reliquit? cùm causas profectionis suæ tam necessariæ scripto relicto exposuit? cùm vos ad charitatem patriæ, & concordiam mutuam exhortatus est? cùm vos fidei vestræ sibi & patriæ debitæ, & quam semper inuiolatam cõseruastis, admonuit,

ac vt in ea perſeueretis, vos obteſtatus eſt? cùm vos ad iuſtitiam colendam, & iudicia exercenda excitauit? cùm ſe vos non eſſe relicturum, ſed ad vos reuerſurum, ope lata alteri regno, pollicitus eſt? cùm ſe veſtræ beneuolentiæ erga ſe perpetuo memorem fore declarauit? cum ſe muneris ac officij ſui rationes tenere confirmauit? cum hoc denuò tot epiſtolis repetiit? cùm hoſtes veſtros nulla interpoſita mora, ne quid detrimenti regnum ſuum, patria verò veſtra, ſuo diſceſſu caperet, admonuit? cùm & omnes amicos reges, ac principes, vt non veſtro tantum ſed & ſuo nomine vobis magis deuincti & beneuoli eſſent, compellauit? cùm ſe veſtra ac reipubl. veſtræ cauſa, nullis laboribus nec ſumptibus parſurum eſſe recepit? Quæ omnia, ſi iam reipſa cognoſcitis: ſi res veſtræ deteriore loco non ſunt: ſi hoſtes ſe continent: ſi amici, quorum animi immutari poterãt, fauent: ſi nemo vos oppugnat: cur tantopere de eius diſceſſu queri, ac animis turbari debeatis? At de iuſtitio fortaſſe res eſt, quòd fora iudiciorum ſilent. quis illud confecit? quis hoc malum reipubl. creauit? non rex profectò, ſed diſſentientes veſtræ ſententiæ.

plerif

plerisq; enim in locis iudicia detrectastis, donec prius ea, quæ requirebatis vobis concederentur, inuitis & reclamantibus aliis. Quæ res tot vos difficultatibus implicauit, & tot molestias vobis peperit, vt earum pertæsi non tantùm Regem accuseris, sed etiam senatum persequamini, & cæteros omnes affligatis. Ac si credibile est, omnia facta infecta reddere velle, & alium animis Regem propè concipere videamini. Quod si verum est, vt ego falsissimum esse cuperem, quid aliud quæritis, quàm ruinam & exitium vestrum? quod vultis in naufragium, è quo salua naue & mercibus tantum enatastis præcipitari? Quid Rex fecit, quod non factum esse oportuit? quid non fecit, quod in hoc tam breui tempore præsertim debuit? Confirmationem, aitis, non dedit. Quibus daret, discordibúsne, aliis nouam, aliis veterem, aliis neutram poscentibus? certè si hoc tum feciisset, pestem immisisset, & luctuosissima discordiæ semina inter vos iecisset. Maluit hoc concordiæ vestræ dare, vestro amori mutuo, & tempori fæliciori. In qua expectatione vestra, an eum iniuratum vidistis? an non omnia iura & libertates vestras vobis fore sal-

nas, toties declarantem; audiuistis? quid adhuc restabat? Peccata vestra, ô Sarmatæ, peccata, vos & Rempublicam vestram vexant. His imputate, & diuturnæ paci & longo ocio vestro, quod sublatis externis periculis, ad muliebrem altercationem ciues incitare solet, si non omnia ex animo cadere videantur; non Regi beneuolo, Regi benigno, Regi diuinitùs electo: & qui suam hanc Sarmatiam tanti apud se facit, vt precioſum aliquod ad immortalitatem consequendam deorum immortalium donarium. Et non immeritò. Quis enim nunc est clarior Hẽrico? cui debet? Poloniæ: quæ nunc viciſſim regio illustrior Polonia? cui debet? Henrico. Suspirant nunc cætera regna, vel quadam infælicitate communi, vel quadã iniustitia publica oppressa, cùm de Polonia audiunt: & beatam ac fælicem eam aiunt; seipsa deplorant. O Sarmatæ, Sarmatæ, ô fortunatos bona si sua nossent agricolas: (vt ait poeta) ô vos fælices, si vestra bona, vestram libertatem cognoscitis. Quid vobis deest ea incolumi? quod tantum commodum quod vobis non accedere, vel incommodum quod euenire, aut si euenerit, vobis vehementer officere possit?

Sum

Summum hoc priuilegium est, immortalis hæreditas, quam vos perpetuam vobis effi cietis, si ea vtamini non abutamini, ne in vobis verum sit quod dicitur, Libertas libertate perit. si iustitiam colatis, æqualitatem conseruetis, concordiam mutuam inter vos retineatis, atque ea agatis, quæ non aliquibus sed omnibus expediãt: & si nunc huius tam clarè & splendidè electi Regis retinendi non relinquendi saluberrima consilia retineatis. Ita vestri maiores Regibus suis fecerunt: ita & vos hucusque fecistis, summo libertatum vestrarum emolumento. Quòd si ipsi liberi estis: sinite vt & amici vestri, ex seruitute bellorũ ciuilium emergant: si salui estis, non inuidete illis salutem: agnoscant hoc non inuitis sed volentibus vobis sibi cõtigisse quod iam contingere videtis. Debere se vobis sentiant, non inuidia vobiscum certent, gratias vobis agant, non vos auersentur. Hæc res efficiet, vt vicissim ipsis fauentibus & annuentibus, & Regem vestrum habeatis, & habeatis vtilem, res vestras amantem, vestrarum libertatum & commodorum studiosum. Hoc modo, non tantum vos Regi & Regem vobis, sed etiam vos vobisipsis, &

bol

tam patriam vobis, quàm vos patriæ, cum summa prudentiæ & moderationis vestræ laude conseruabitis Hæc est ratio, hæc via, quam vos vobis, non tantùm vtilem, sed etiam necessariam & salutarem, si mihi obtemperaueritis, experiemini. Finem faciã, si hoc addidero: quis iam dubitare possit, vos in eo Rege eligendo non errasse: cùm iam eundem ad Franciæ gubernacula à Deo collocatum esse videatis? adeò vt possim dicere, iudicium vestrum in eo eligendo, iudicio Dei paulò post approbatũ esse.

Sed iam ad vos coniunctim, ô nobilissimi Galli & Sarmatæ nostra oratio redit. Iam vtrique animaduertitis, maximo errore vos vtrinque implicari, si de eo principe, eiúsque electione, aliud quàm res ipsa postulat, quàm Dei consilium, quàm necessitas rerum, statuere velitis. Ac iam satis conuictam esse vestrarum rationum imbecillitatem, mea quidem sententia constat. Reliquum est, vt vos moneam & horter, vt vos ita cõponatis, vestros animos ita comparetis, vt ea ex re, id est, tam electione Sarmatica, quam regni Galliæ ad ipsum deuolutione, non dedecus sed gloriam, non dolorem sed voluptatem, non detrimentum

sed

sed vtilitatem capiatis. Quod ita facietis, si vos Galli Sarmaticam electionem ad vos pertinere; vos Sarmatæ Gallici regni hæreditatem regi vestro oblatam, vobis non incommodam sed fructuosam & vtilem fore statuatis. Electio quidem Sarmatica, qua is princeps à populis illis rex depostus & renunciatus est, vtríque perhonorifica, vtrique gloriosa accidit. vobis quidem Gallis, quod nec vt ante ostendi in bellorum ciuilium miseranda calamitate ac suprema fortuna uestra egregij vobis principes desint, quibus sceptra & regna dignè deferri possint. Vobis Sarmatis, quod eum regem vobis creaueritis, in quo nihil præter vestram libertatem, ac virtutem illius spectaueritis: ídque ea concordia, vt omnes: ea prudentia, vt sine tumultu: eá magnanimitate, vt eam ob rem omnia pericula contempseritis. Quæ res tanta quidem est, vt etiam si in ea aliqua conuersio (vt sunt res humanæ) quod absit, eueniret: abunde magnos fructus ex ea retuleritis, quòd hucusque salui permansistis: & omnibus terrarum ac ætatum omnium hominibus testatum reliquistis vos solos propemodum esse populos, quibus nemo imperet,

nisi quem vos ipsi imperare velitis. Secura fuit hæc electio rationem, sequuta consilium Dei, quid vultis amplius? Secuta proportionem quandam & harmoniam orbis terrarum. Cùm enim omnes nationes proximæ, propter secundæ similitudinem nescio quo pacto à se dissideant: remotiores verò, & veluti per tertiam à se distantes maiore sui beneuolentia ducantur: ea vos tertia & dulcedo illius, non ad dissonantiam sed consonántiam, non ad dissidium sed ad amorẽ mutuum coniunxit, & copulauit. Quæ harmonia non nunc primùm reperta, sed antiqua est. Cum qua enim natione vos Sarmatæ libentiùs versamini, quàm cum Gallis? quo & literarum & morum causa plures commeatis, quàm in Galliam? vnde plures reges, si externa videatis, habuistis, quàm è Gallia? Iã enim hunc, non tertium, vt putatis vtrique, ex Gallia regem, sed quartum habetis. Habuistis Casimirum, ex vmbra Cluniacensis monasterij eductum. Habuistis Vladislaũ quendam Album Poloniæ Ducem, qui cùm ad regnum Poloniæ veniret vocatus è monasterio Diionis Metropolis Burgundiæ, in itinere Argentinæ animam exhalauit,

uit, & Diionem relatus est. Quod etsi vestri annales taceant vel nesciant: tamen Diioni illustre eius sepulti monumentum extat. Habuistis Ludouicum auctorem libertatum vestrarum ex Vngaria, è Ducibus Andegauensibus descendentem. Habetis hunc Henricum, atque vtinam vobis Ludouico tantò vtiliorem, quantò potentiorem. At si & cõditionem horum regnorum, cùm amicis pariter & hostibus consideretis: eosdem hostes, eosdem amicos vtrique habetis. Quodque Turcas attinet, an cum his ita fortiter & strenuè à vestris maioribus dimicatum non est, vt vos Galli pulcerrimas prouincias eis ademeritis: vos Sarmatę cum eis fortiter pugnando, Reges aliquot amiseritis? & prouinciæ autem retineri, & clades nulla accipi poterat, si fides in his fuisset, in quibus maximè oportebat. Quas res, si seorsum gessistis, an nunc non commodius, non fœlicius, & non maiori orbis Christiani emolumento, gerere poteritis, cùm vnum Principem vnum Regem vtrique habeatis? & si in cæteris ea constantia, ea fides, quæ ad eam belluam edomandam frangendámque adferenda est, fuerit? Videtis quæ ruina toti instet Eu-

ropæ, atque adeò Reipublicæ Christianæ, quod exitium, qui occasus. Veniunt rerum metæ & temporum, quibus eas barbarorum vires ad summum auctas ac erectas, his tam nouis, raris & inusitatis societatibus Deus euersurus videtur esse. O vtinam has res tantas, cæteri principes seriò ac verè cogitarent, & bella, quæ inter se sua & vestra omnium iactura serunt, aliò concordes transferrent: citò finem harum orbis Christiani calamitatum videremus. Iam verò si huius coniunctionis vestræ mutuæ difficultatem perhorrescitis, quòd longo vos terrarum spatio dissiti estis, neque hoc ad causam facit. Interfuerunt maioribus vestris, ô Galli, inter prouincias vestras in Asia, & vestram hanc Galliam, maxima maris & terrarum interualla. Interfuit Carolo V. Imperatori, Gallia hæc vestra, terra tum hostilis, inter Germaniam & Hispaniam: neque tamen vtrique defuit. Interiacet nunc vos Germania non hostis, sed amica, & tam Galliæ quàm Poloniæ, multis vinculis & modis obligata. Habetis Reges amicos; mare Occidentale & Orientale commune: sunt communia commercia: erunt vnæ ac copulatæ vires: quis contra

vos

vos arma ſumere audebit? quis vobis obſiſtet? quis veſtram ſocietatem violabit? quæ non commoda ex iſta amicitia & vnitate veſtra, hac cognatione veſtra (quæ enim maior eſſe poterit, quàm vnius regis eſſe populos) ſperare poſſitis?

QVÆ cùm ita ſint, ô Galli & Sarmatæ fortiſſimi, vos hortor & moneo, vt hanc felicitatem maximam, tãquam materiam ſalutis & gloriæ veſtræ ſempiternæ, vobis ſponte diuinitus oblatam, ambabus manibus amplectamini, & mutuis officiis & ſtudiis, mutua beneuolentia veſtra, vobis & poſteris veſtris conſeruetis. Abigite à vobis iſta prodigia & portenta reipubl. qui hanc amicitiam & vnitatem veſtram, rumoribus, fabulis, malè feriatis ſcriptis labefactare & diuellere conantur: relinquite ignauis iſta, qui ſcribendo & pingendo bella & res magnas gerant. vos totis animis ad veram virtutem & gloriã incũbite. Regem talem habetis: talem vobis Sarmatis fortuna prouidit: vobis Gallis natura edidit: vt omnia vobis de eo, quæ de optimo, fortiſſimo, & conſtantiſſimo principe polliceri iure & poſsitis & debeatis, non deerit vtriſque vobis: modò vos ipſi vobis

ne desitis: ac pulcerrimum hunc tam virtutum quam fortunæ eius cursum, ne impediatis. Ea est iustitia ac æquitate instructus, vt quid vtrisque vobis debeat, probè agnoscat: ea fortitudine & animi constantia firmatus, vt eas habenas rectè moderaturus, & oneri regendi vtriúsque regni satisfacturus esse videatur. Ea prudẽtia pollens, vt omnibus ætatis suæ principibus hãc laudem præripuerit: maturiorẽ autem assequutus sit. Eo iudicio ac moderatione animi, vt omnia in eo temperata, omnia placida, & tranquilla: nihil autem violentum, nihil temerarium, quod eius ætatis vitium solet esse, videatis. Adeò vt & sciat, & possit, & velit, tam saluti præsidia, quàm honori vestro ornamenta comparare, omnibus his, quæcúmque à suis quísque propriis regibus laudatissimis expectare possitis. Sic visum est Deo, vt Henricus Francus Valesius ex Andium Duce Rex Sarmatiæ seu Poloniæ crearetur: ex Rege Sarmatiæ, Frãcorum Rex vtriusque nationis vestræ, summa gloria fieret. vtrumque nunquam euenit: vtrumque orbis stupet vniuersus. Cedit & ipsa inuidia fatis. Hæc vobis vt sunt, magna esse debent: hæc tanti, vt

pro hac gloria Regis vestri & vestra, pro his vinculis & necessitudine, tuẽda & conseruanda, nullos non labores suscipere debeatis. An quod aliis, nullis armis, nullis opibus, vnquàm assequi datum est, vos solo numine diuûm assecutos esse non gaudebitis? Quæ si chara esse deberent, etiam sanguine & maximo labore parta & retenta: quomodo non cara esse debent ita spontè oblata? vnicus hic labor vester, hæc vnica cura vobis esse debet: vt ne eos audiatis, qui vobis eam amicitiam inuident, & vt vos mutuorum odiorum venenis inficiant, multa dicunt & scribunt. Polonis luxum, fastum, barbariem: Gallis, insolentiã, leuitatem, temeritatem obiicientes. Non hæc Polonis Galli, non Gallis Poloni obiiciunt, sed homines malitiosi & petulantes, & qui cùm tranquillis rebus humi serpant, in Reipub. incendiis suas fortunas venantur. Sunt araneæ non apes: hæ enim mella stipant ex quibuslibet & herbis: illæ & ex salutaribus hauriãt venena. Sunt fuci furacees, qui dulcia concordiæ mella diripiunt, & non congregationem, sed dispersionem quærunt. Obseruant probi, prudentes, & in Respub. benefici homines non vitia sed vi

tutes; non quod reprehendant, sed quod laudent, atque ad publicam salutem conferant. Obseruant in Gallis, acres & generosos animos, liberos, humanos, obsequentes. In Polonis, candorem, veritatem, simplicitatem, magnanimitatẽ, aperta & fraudis nescia pectora. Qui mores alij facilius coalescunt, quàm eorum qui ita à natura formati ac educti sunt: At si in eorum moribus quid à vetere integritate deflexum & aberratum est: id non malignitati naturæ vtriusque gentis, quæ nulla est, adscribunt: sed in altera bello huic ciuili: quod secum non tantùm fortunarum iacturam, sed etiam morum trahere solet: in altera longæ & diuturnæ paci, in qua militaris disciplina obsoleuit, & vigor ille naturæ & animorum obtorpuit. Quantum enim Gallis humanissimis, bellum hoc funestissimũ, mutuæ diffidentiæ & ferociæ ingessit: tantùm Sarmatis antea temperatis, fortibus & ingenuis, licentiæ, temeritatis, & morum dissolutionis, ocium constauit: vt verè dici possit, Galliam nimio bello, Poloniam nimio ocio, vtrôque malo domestico, dilapsam esse. Neque hæc res diuersa facit, quòd Gallica nobilitas, nonnisi Regis &

Prin

Principum obsequiis sese addicit: Polona verò pubes, non solùm in Regis & procerum, sed etiam potentiorum nobilium familia esse gaudet. Hoc enim vtile est Gallis propter eas gentes, inter quas siti sunt, & cum quibus assiduò versantur: hoc & status Reipublicæ requirit, & mores antiqui. Sarmatis verò, propter celeritatem & multitudinem vicinarum & barbararum nationum, cum quibus inexpectatum bellum geri solet, magis salubre & necessarium est gregatim versari: & cùm milites omnes sint, ac semper in armis, honestum sibi ducunt in clariorum domibus tanquam scholis virtutum educari. & consulitur autem hoc modò concordiæ & charitati mutuæ. Vnde Polonia instar magnæ cognationis est, quam Plato ille diuinus si viueret, vnicam cæterarum rerumpublicarum vt florentissimam & fœliciſſimam calculo suo probaret. Iam neque hoc contrarios mores arguit, (in quo iocari liceat) quòd Galli domi nascente vino, moderatiores: Sarmatæ alieno vtentes, largiores sint: facit hoc cœli natura, fert vtrorúmque necessitas: illi enim cum aere pascantur calidiore, refrigerandi; hi cùm gelidiore,

tepefaciendi ſunt. Sunt & alia, ſed eiuſmodi vt non maximam diſparitatem nationum veſtrarum faciant. Néque autem vitia veſtra, quæ tantùm liuor obſeruat, ſed virtutes & mores perfectiores confero. Illæ ſunt veræ, naturales, & certiſſimæ ſimilitudines veſtræ, quòd vtríque generoſi eſtis, vtríque contumeliæ & iniuriæ impatientes; vtríque mortis contemptores: vtríque dedecus per mortem & vulnera fugientes: vtríque laudis amantes: vtríque non mœnibus vrbium, ſed pagis, prædiis, & arcibus veſtris continemini: vtríque non mercatores ſed milites: vtríque equitatu præſtantiſſimi: etſi Poloni equitatu, Galli peditatu vos mutuò vincitis: vtríque libertatum veſtrarum propugnatores acerrimi: vtríque magis ingenua virtute, quàm legum ſeueritate: minus metu quàm beneuolentia in officio permanetis: vtríque humanitatis cultores. Apud vtróſque præ cæteris in orbe nationibus, Regum aulæ, ſplẽdore, numero & multitudine nobilium frequẽtiſſimæ & celeberrimæ ſunt. Apud vtróſque ſui reges, & diuino propè cultu coluntur, & tanquam patres amantur. Néque res eſt, quod ignari dicunt, in

Gallia

Gallia reges pro libidine ímperare, in Polonia ſeruos eſſe: vtrobique enim Regum ſors, ius & poteſtas eadem eſt. Nam, etſi in Gallia naſcuntur: tamen non quod eis libet, ſed quod iura dictant, ſibi ſumere ſolent. etſi in Polonia eliguntur: tamen eorum autoritas & maieſtas, non tam eſt legibus circumſcripta, quàm ſepta & munita: vt tantò magis colantur, quantò magis à poteſtatis abſoluræ ſuſpicione abeſſe videantur. Hinc ſunt apud vos Gallos Parlamenta, Conſiliarij magni & ſanctioris conſilij, quod priuatum dicitis. Apud vos Polonos Senatores Eccleſiaſtici & Sæculares, Officiales Regni, Curiarum & Terreſtres: vtrobique ad Reges colendos, iuſtitiam procurandam, ordinem politicum, libertatem, & ſalutem publicam conſeruandam conſtituti. Hæ ſunt veræ, hæ genuinæ ſimilitudines, quas in vobis ac moribus veſtris, homines non excordes, non malitioſi contuentur: è quibus de aptitudine eius coniunctionis veſtræ ac fœlicitate, ſapienter iudicant ac decernunt. Quæ quidem coniunctio veſtra, ſi non nunc tantùm cæpit, ſed & ante multos annos

fuit inter vos; cùm vos Galli cum Sarmatis & Slauis, plurima orbis regna occuparetis (vt hoc vetustissimi quidam annales tradunt) & inter vos partiremini: Cui valde mirum esse debeat, si denuò ad studia & amicitiam antiquam ad societatem veterem colendam reuertamini, præsertim & Dei nutu, & consilio (nam quid sine eo in hoc tanto actu gestum est?) ac ordine & reuolutione rerum vos ad eam reuocante: ac eam inter vos stabiliente firmis fundamentis. Néq; autem fieri vllo modo posse, ô Galli, putetis: quin si post eum regis vestri è Sarmatia ad vos aduentũ, hîc consistendum, atque ab amicitia & coniunctione mutua vestra, hoc iam fine recedendum, sociósque ita in incerto deserendos vobis esse existimetis: non leui iniuria vosmetipsos ac nomen vestrum afficiatis, & variis incommodis, res vestras inuoluatis. Néque vos Sarmatæ aliud speretis: si ea tam fatali profectione Regis vestri & absentia non perpetua sed temporanea, ita offendi velitis: vt nec statum alterius fœderati vobis regni adeò afflicti & in ruinam procumbentis, cui necessariè hoc tali

aduen

aduentu ſubuentum eſt, attendatis: nec admonitiones ac poſtulata regis paterna, non ſurda aure prætereatis. Verendum enim, ne non ſolùm regem, ſed etiam Dei ipſius qui vos actenus tuetur, gratiam, & conſilium, quod humanis conſiliis ſapientius eſt, à vobis excludentes, vos & rempublicam veſtram in ſummas difficultates & miſerias deturbetis. Portus qualis qualis eſt, quem tenetis, melior & tutior eſt quàm is quem ignoratis: & quo quærendo, in omnes tempeſtates incurrendum eſſet. Præſtat vel ægram ducere vitam, & ſperare meliora cum hoc quàm cum alio ſubitò extingui & interire.

Quod ne vtrique faciatis: ſed voluntati diuinæ, ac moderatiſſimis conſiliis veſtris innixi, non tantum res veſtras proprias, ſed etiam communes: cùm iam alterutrorum vtrorúmque propriæ ſint: procuretis & componatis, ratione non affectu, conſilio non cupiditate: per vos ipſos vos rogo, moneo & obteſtor, per veſtram ſalutem & famam nominis veſtri, per charitatem liberorum & ſanguinis veſtri, per fidem veſtram, quam Deo, Regi, patriæ, &

vobis ipsis debetis. Hoc nunc à vobis, Gallia & Polonia, tanquam à liberis suis matres lachrymabundæ, petunt & contendunt. Hic enim iam est terminus: hæc periodus: vt aut de his omnibus breui in sempiternum periclitemini: aut ea omnia, & vos ipsos vobis & Reipubl. Christianæ, perpetuò conseruetis.

***

VATICINIVM DE CONIVNCTIONE Liliorum cum Aquila, desumptum ex antiquis prædictionibus Ioannis Lichtembergij, quod adscribit D. Brigittæ Sueciæ Reginæ.

BRigitta Sueciæ Regina ait: Egredietur Lilium ex agro occidentali, erit crescens in mille millia in terra virginali:

recuperabit amissa. Odore suo rigabit venenosa, & erit fortior cedro. O Iuuenis in terra lilij attende, quod noua testa capit, inueterata sapit. Impinge tabulæ cordis tui, quæ huc vsque rasa, vt regibus congruit: corrige conscientiam tuam & videan sis de bono Gallo vel malo. Nam de bono Gallo antiqua prophetia inuenitur, ad eum modum. Aquilæ grandi sociabitur lilium ab occidente in orientem & mouebitur contra leonem. Leo carebit auxilio, & decipietur à lilio. Fragrabit lilium in Alemania, vnde laus eius suprema volabit sub Aquila. O Francia terra nobilis, quæ talem fers florem, qui arborem arefactam, iam multis annis transactis, solum odoris aspersione viresccre faciet. Et amore charitatis inflammabit Aquilam orientalem, volantem ad ardua alis duabus, & fulgentem in montibus Christianitatis: Istud est lilium odoriferum vnde apes fidelium in Ecclesia sugent mel affectionis ac desiderij: rebelles autem venenũ lamentationis. Et liliũ cum aureolis stabit illæsum. Istud lilium, desiderabunt puellæ Scorpionis Alemanicæ nationis, vt inde suas corollas plectant propter festiuitatem, vnde lugubriter

briter flebunt. O iuuenis in terra lilij vide ne dicatur, Væ terræ in qua Rex puer eſt, cum tu ſis ille qui campũ Saphyri ſub cœlo defers, tribus aureis liliis conſitum. Ideo Chriſtianiſſimus vocaberis inter omnes Reges.

Explicatio.

IOannes Lichtembergius quis fuerit, eius ſcripta oſtendunt, quæ iterum atq; iterũ excuſa in noſtris manibus verſantur. Ex quibus apparet, & aſtrorum ſcientiæ peritiſſimum fuiſſe, cum propè omnia ad ſyderum vim ordinémque reuocet: & in diuinando fæliciſſimum, cum multa euenerint, quæ euentura prædixit. Sumpſit & ex aliis ſe antiquioribus multa, vt hoc ex D. Brigittæ reuelationibus: quod ſi ij qui in republ. conſilio & auctoritate valent expenderint probè, non de aliis temporibus aut principe prædicta cognoſcent, quam noſtris, & rege cõmuni Galliæ & Poloniæ, dabúntque operam, vt ne ea regna diuinitus ſociata ſeparentur, quorum coniunctio vtríſque populis & honorifica & ſalutaris, diſtractio exitialis & funeſta proculdubiò futura eſt. Sed iam explicationem ipſam vaticinij videamus.

Vaticiniũ D. Brigittæ.	*Explicatio.*
A Egredietur lilium ex agro occidentali: erit crescẽs in mille millia in terra Virginali.	A Egressum est in electione Sarmatica ac euocatum ex occidente in orientem. Terram virginalem puto intelligi Poloniã. Nam vt virgini eligitur vir, ita illi Regno Rex.
B Recuperabit amissa.	B Veterem nempe gloriam, felicitatem & cætera regnorum ornamenta.
C Odore suo rigabit venenosa.	C Odore virtutis suæ prauas hominum machinationes tollet.
D Et erit fortior cedro.	D An is non erat fortior in electione, pericula nulla perhorrens, tam in adeunda Sarmatia, quàm Gallia repetenda.
E O iuuenis in terra lilij attende, quod noua testa capit inueterata sapit.	E Iuuenem indicat, & eum quidem cuius tenera ætas prouectiore res magnas pollicetur.
F Impinge tabulæ cordis tui quæ hucusque rasa, vt Regibus con-	F Cùm iuuentutis Regiæ innocentiam indicat, tum si ad res gegruit

gruit,corrige cõſcien
tiam tuam & vide,an
ſis de bono Gallo vel
malo.

G Nam de bono Gal-
lo antiqua prophetia
inuenitur,ad eum mo
dum. Aquilæ grandi
ſociabitur Lilium ab
Occidente in Orien-
tem , & mouebitur
contra leonem

H Leo carebit auxilio
& decipietur à lilio.

I Flagrabit lilium in
Alemania , vnde laus
eius ſuprema volabit
ſub Aquila.

K O Francia terra no-
bilis, quæ talem fers
florem, qui arborem
arefactam iam multis
annis tranſactis , ſo-
lum odoris aſperſio-
ne vireſcere faciet.

ſtas referatur , ea no-
tat quę hucuſque geſ-
ſit,non ſuo ſed fratris
nomine. Cætera ſunt
plana.

G Lilium cum Aquila
grandi ſociatum eſt
hoc tempore , Rege
hoc Galliæ & Polo-
niæ.Leo Turca eſt.ne
que enim hic inſignia
ſpectanda ſunt , ſed
potentia.

H Id eſt , queretur ſe
deſertum à lilio.

I Hinc apparet , eam
coniunctionem non
intelligi de Aquila
Germanica. Nã poſt
coniunctionem cum
Aquila pollicetur fra
grantiam in Germa-
nia & ſuprema laudẽ.

K Arbor arefacta Gal-
liam tot malis attritã
ſignificat. Odoris aſ-
perſionem vocat fa-
mam virtutis Regiæ,
quam cum ſui tanti
apud exteros fieri vi-
derint , magis ama-
bunt,atque ad cõcor-

L Et amore charitatis inflãmabit Aquilam Orientalem.

M Volantem ad ardua alis duabus & fulgentem in mõtibus Christianitatis.

N Istud est lilium odoriferum vnde apes fidelium in Ecclesia sugent mel affectionis ac desiderij, rebelles autem venenum lamentationis.

O Et lilium cum aureolis stabit illæsum.

diam reuersi, patriam reuiresçere sinent.

L Amor hic se in electione ostendit, cum Aquila id est Poloni, eius id est principis huius amore inflammati, Regem summa contentione deposcerunt, Aquila Orientalis Polonia est.

M Hoc loco euolatio eius Aquilæ in montes Christianitatis id est in regnum Galliæ prædicitur.

N Istum inquit principem fideles summo amore complectentur, ac eius interdum absentis desiderio tenebuntur. Rebelles autem ob prosperos eius successus se excruciabunt, & ipsi sibi mala accersent, ꝙ aràneæ esse quàm apes malint.

O Regi, regnoq; stabilitatẽ pollicetur, per aureolos Franciæ gloriam & præeminen-

tiam ac priuilegia illa cœleſtia quæ præ cæteris regnis habet, ſignificat.

P Iſtud lilium deſiderabunt puellæ Scorpionis Alemanicæ nationis, vt inde ſuas corollas plectant propter feſtiuitatem, vnde lugubriter flebunt.

P Deſiderium Alemaniæ & ſpem de hoc rege expectationémque declarat.

Q O iuuenis in terra lilij, vide ne dicatur, væ terræ in qua Rex puer eſt, cùm tu ſis ille qui campum ſaphyri ſub cœlo defers tribus aureis liliis conſitum.

Q Præmonet iuuenem vt ſe & Regem eſſe agnoſcat, & quidem talem Regem.

R Ideo Chriſtianiſſimus vocaberis inter omnes Reges.

R Inter ſuos & externos.

Hanc prædictionem ſi Henricus tertius, prius Poloniæ tantum, nunc & Galliæ rex, ſibi ob oculos ponet, & re ipſa Chriſtianiſſimus id eſt Chriſti gloriæ ſtudioſiſsimus erit, & agnoſcet, hæc non de alio quàm ſe ipſo prædici. Et intelliget, ſe non tantum

eo loco esse, vt Galliam & Poloniam tueri
ac ornare, verum etiam de toto orbe
Christiano benemereri possit,
cum sempiterna nominis
sui gloria & præ-
miis æternis.

ESAIÆ 44.

Faciam prophetare
si seruaueritis

IOEL 2.

filios & filias vestras
mandata mea.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-208527-p0061-6

I
II
III
V
VI
VII
VIII
IX
X

Contenta hor libro.

I Franco gallia T Hotomani Jcti | 16 1/2
II Oratio cuiusdam probi p. 1576 | 3 1/2
ad Gallos & Germanos. 75.
III Response au Conseil contre pierre
Charpentier chiquanour p.
IIII Traitte du quel on apprendra en quel
cas il est permis a l'homme Chrestien
de porter les armes par pierre Faber 7. 1/4
VIII Edictu & diplomata aliquot Henrici III^i 5 1/2
Polonie & Gallie regis. De conditionibz
pacificationis regni Gallici, aliisq; magnis
de rebz
V Malagonis de Malag. Monitoriale 5
aduersus Malogalliam siue Artifran-
cogalliam Antonij Marsanelli 75
VI Sigilis papirij Massoni p 75. 2
VII Declaration du fait de la guerre les
Ferres, Anno 62. 2
VIII Explicatio belliorz in Gallia nunc Sic Latinè
IX. Les ordonnances Ecclesiastiques de
l'Eglise de Geneue. 7
Item L'Ordre des Escolz de ladite Cité
62.
X Addition aus ordonnances faites en
ceste ville de Geneue l'an 1558 sur la 2
reformation des escriptures, Contrat
declaration plus Specials.

p

AB 154621

AB: 154621

ULB Halle
004 976 940
3

TA 3 01

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-208527-p0066-4

6

PROBI ET GALLIAE AC POLONIÆ AMANTIS VIRI,

AD GALLOS ET SARMATAS ORATIO.

Acceſſit inſigne & peruetus vaticinium de liliorum & aquilæ ſeptemtrionalis coniunctione.

Pſal. 62. Rex vero lætabitur in Deo: laudabuntur omnes qui iurant in eo: quia obſtructum eſt os loquentium iniqua.

BASILEÆ.

1575.